

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Epistolarvm [epistolarum] D. Philippi Melanchthonis Farrago

Melanchthon, Philipp

Basileae, 1565

VD16 -M3220

Iacobo Micyllo Philippus Melanchthon S. D.

[urn:nbn:de:bsz:31-312770](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-312770)

de, ne tui sis unquã dissimilis. Dicitur paravi pro-
scriptio horrenda: sed hoc ipso fortasse nervus rum-
petur, ut solet. Ante quadrantem horæ accepi lite-
ras ex Norico: dicuntur signatæ chartæ proscriptio-
nis circiter bis mille, missæq; ad Oenipontem: sed
senatum Caesarianum ibi nolle publicare, ne vulgus
irrideat. Tu confortare, & esto robustus. Orabis
pro me, qui certò tuus sum ex animo. Vale.

Iacobo Micyllo Philippus Melan-
chthon S. D.

Index 353.

Cum polliceretur se Princeps scholam confir-
maturum esse, ui debam nobis in primis opus esse a-
liquo, qui non infeliciter carmen conderet, ut ad il-
lius imitationem se comparent adolescentes elo-
quentiæ candidati. Nam mihi quidem de nullo disci-
plinarũ genere rectè iudicaturus uidetur, qui Poe-
ticen non attigit: uideoq; in soluta oratione frigere
eos, qui non degustarunt poeticen. Porro genus
uersum tuorum semper amaui. Quare de te accer-
sendo diligenter agebam, cupiebamq; ea in re pu-
blicas literarum studijs consulere, quibus in hac fre-
quentia scholæ nonnihil opis adferri posse arbi-
tror. Nam scholæ tuæ Francfordianæ suffecerit ali-
quis plebeius lector. Verè iurare possum, hoc unũ
in consilio esse, cur te in Saxoniam redire tanto pe-
re non cupiam. Vides autem, optime Micylle, quo

p a in

in discrimine fuerint nostræ literæ, nisi summa ope
 à tui similibus defendantur. Quare te iterum, quic-
 quid possum, per hoc rei literariæ studium rogo, ut
 si honestè queas, commigres ad nos. Nam quod ex-
 cusas, uereri te, ut sit ad prælegendum satis tempo-
 ris * magna facultas, uerundè tu quidem. Sed nos
 iam non tam prælectionis causa te accersuimus,
 quàm ut tua consuetudine formarentur hi, qui ad
 poeticon idonei sunt. Nam satis prospicis consilium
 nostrum. Si quæri iubeas professorè, qui sophisti-
 co more uulgo suam garrulitatem ostendet, ἢ
 μέλας τῶν τοιάτων. Et quanquam uideam istud
 tuum genus solutæ orationis propter subtilitatem
 ad docendum, & Scholas appositum esse: tamè hoc
 agimus, ut habeat iuuētus, ad cuius exemplum uer-
 sus adsuefaciat facere. Eobanus Norimbergā acer-
 situr, satis honesta conditione: alioqui huc inuita-
 semus. Cæteræ disciplinæ habèt tolerabiles profes-
 sores in hac urbe: sed mihi tota Schola sordebit,
 nisi tui copia cōtigerit. Sine igitur abs te Remp. im-
 petrare, ut operam nobis tuam addicas: & cum te
 Reipublicæ nomine uocamus, puta cœlesti aliqua
 uoce uocari ad honestissimam prouinciam. Vale.

Ioanni Riuiio Philippus Melan-
 chthon S. D.

Accepi literas tuas ad 16 Calēdas Martias, quas
 legi